DE MULIERUM UTERUM GERENTIUM HYGIENE DISSERTATIO...

Giovanni Battista Pertoldi

DE

MULIERUM UTERUM GERENTIUM HYGIENE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS

IN MEDICINA HONORES

ASSEQUENDOS

IN VETUSTISSIMO AC CELEBERRIMO

ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE HABUIT

JOANNES BAPTISTA PERTOLDI

UTINENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXII

La médecine est elle jamais plus digne de la place distinguée qu'elle occupe parmi les autres sciences que quand elle cherche à prévenir les maladies!

C. Lachaise hygiene physiolog. de la femme.

Cultiorum veterum pariter ac hodiernarum nationum perlegentibus historiam occurrit ubicumque mulier uterum gerens a plurimis religionis officiis exonerata, privilegiis insignibus donata a legislatoribus, polyticorum hominum attentione dignata, ab universo populo in quadam habita veneratione. Magni siquidem momenti fuit tum ab omnibus incommodis periculisque eas servare, tum vitam meliorem amoanioremque illis raddere, quae cives futuros sinu suo alerent atque foverent. Qui morti damnatus sese a judicium manibus subtrahere et in mulieris gestantis domum recipere poterat, Athenis atque apud Carthaginienses salvus erat. A mosaicis legibus feminis gravidis nulla alimenta amplius interdicta; immo ii omnes capiti damnabantur, qui in eas tam tristibus dirisque modis saevirent, ut inde sequeretur abortus. Lycurgus matres sub partu occumbentes atrenuis mili-

tibus comparabat media in acie gloriose interfectis, earumque titulos ad patriae suorumque amorem tumulis inscribi minime recusabat. Romae ubi magistratu aliquo adveniente quisque consurgere pedibusque stare jubebatur, praegnantes tantummodo publicum hoc venerationis testimonium dare non tenebantur, ne quid ipsis, ut ait Mabon, detrimenti exinde manaret. Nostris hisce temporibus sub ipsa administratione justitiae peculiaris gravidarum ratio habetur; leges quamplurimae earum jura tuentur, bonoque prospiciunt; ipsaque divina patrum nostrorum religio eas a jejunio liberas voluit.

Quod si mulieres uterum gerentes tanto habebantur in honore, adeoque semper publice excolebantur, an ne ipsae a familiaribus, conjugibus parentibusque suis pari obsequio atque amore excipiuntur? Talem ne vivendi rationem sequuntur, quae plane respondeat physiologicis mutationibus in utero praegnanti, et propterea in organismo universo per novem mensium curriculum se se excipientibus? Volunt ne sibi suadere matris officia a primo usque conceptionis momento incipere, et felicem partus exitum non modo, verum etiam valetudinem roburque infantis a diaetetico regimine pendere? Expositio itaque regularum quarundam privatae hygienes gravidas respicientium argumentum est, Profess. clariss. humaniss., de quo breviter disserendum mihi suscipio. Ingenii mei parvitas me minime latet, ad humanitatem vestram idcirco confugio, qua me per lu-

stri decursum, et postremis hisce potissimum diebus insigniter estis prosecuti.

Boerhaave gestationis statum ad morbos retulit, et Sauvages eum tabulis suis nosologicis inserere, peculiaremque curandi methodum illi adsignare non dubitavit. Ego autem graviditatem morbum non esse censeo, sed functionem mulieribus propriam, naturalem, singulares in organismo mutationes causantem. Et mutationes istae siquidem sunt, quibus praecipue attendendum et consulendum est, et de quibus nec non de curis quas ipsae exposcunt, brevem sermonem instituam exordium ducens ab illis, quae ad mentis functiones referuntur.

Sympathica reactio in utero excitata, graviditatis molestiae, et prae partu timor in causa potissimum sunt, cur mentis operationes ita incitentur atque perturbentur, ut quae primum mulier bonitate animi, cordis teneritudine sensibilitateque excellebat gestationis tempore iracunda, ad odia adversionesque facilis, ulcisci cupida summopere evadat, et in vesaniam ipsam aliquando ruat. Quae quidem omnia cum post partum cito evanescant, uteri statui sunt solummodo tribuenda.

Gravidas itaque peculiaribus prosequantur officiis familiares, parentes, conjuges; curam pro iis habeant qualem familiae conditio postulat; humanitatem, indulgentiam, pietatem omnimodam in eas exerceant, etiamsi de rebus minimi momenti agatur. Ubi partus timore corripiantur, et graviditatis crucientur incommodis, addatur dolenti-

bus animus, omniaque auxilia ad earum levamen lubenter soliciteque comparentur. Fortiores animi motus nullibi tantum quam sub graviditate vitandi. Cum enim genitrixque fetusque vita communi fruantur, fieri haudquaquam potest, ut insolitus ille tumultuosusque mentis status in filii vitam et valetudinem non influat. Quoties revera non vidimus non modo deliquia, syncopes, verum etiam abortus, fetus deformes atque monstruosos, subiti gaudii, moeroris, zelotypiae, odii, irae, terroris effectus esse tristissimos (1)? Narrat cel. Percy ex octuaginta infantibus, Londini, post ingentem pulveris pyrei explosionem ann. 1793 genitis, octo ex cretinismi quadam specie occubuisse ante quintum annum; tres et triginta vitam languidissimam ad octavum vel decimum usque mensem duxisse, sex ipsa in nativitate periisse, duos autem fractis ossibus cylindricis in lucem prodiisse. Mulieres uterum gerentes ab iis omnibus pariter arceantur, quae imaginationem turbare queant: ab horribilibus scenis, a cadaveribus, a funeribus, ab hominibus mutilatis immundis foedisque affectionibus obnoxiis. Concedantur illis alimenta quae subinde ardentissime cupiunt, dummodo aperte non noceant, idque non eo fine, ut filii monstruosi naevisque foedati minime evadant, quae quidem vulgi figmenta ab experientia simul ac a ratione omnino damnantur, sed eo potius consi-

(1) Diction. des scienc. méd. Art. Détonation.

lio, ut ob non implete matris desideria fetus nihil detrimenti patiatur.

Ad ea quae in nervosum gravidarum systema agunt concubitus quoque frequentius quam par est repetitus refertur. Mulier de gestatione sua certior facta ne obliviscatur naturam scopum suum attigisse. Fetus profecto, cujus primis praecipue a conceptione mensibus adeo tenelle est compages absque omni noxa perturbationes illas minime sustinebit, quas sub voluptatis impetu in universo corpore aliquando exoriuntur. Partes aliunde generationi dicatas coitus summopere irritat, unde major sanguinis adfluens ad uterum, haemorrhagiae interdum copiosae, et embryonis fetusque subita et praecox expulsio. Sunt immo non pauci, qui reputent, abortus, qui absque causa manifesta fiunt, a Venere immodica originem ducere.

Nec a gravidis vicissitudines atmosphaericae variae, nec habitationes nihili sunt faciendae. Quae facilem gestationem cupiunt, nec semper domi maneant, nec idem cubiculum semper inhabitent, ubi difficulter aer debite restauratur. Respiret femina aerem purum temperatum; calidum humidumque nimis vel putridis vitiatum effluviis atque graveolentem fugiat. Odores suavissimi gestantibus aliquando infensi, caryophylli, vanillae, rosae interdum spasmorum et convulsionum causae. Quidquid igitur vividiori stimulo olfactum percellit, omni studio ab ipsis vitandum. Et fugienda pariter ea loca sunt, ubi ingens hominum con-

ventus esse solet; templa nempe nimis frequentata, theatra et chorearum aulae. Praeter animi motus hisce in locis saepissime excitatos, abdominis laesiones haud raro timendae, saepiusque etiam tristis vitiati aeris experiendus effectus.

Quamquam sint qui censeant mulieres gestantes a contagiis facile incolumes, et epidemicis constitutionibus minime obnoxias esse; ipsae tamen ne nimis statu fidant suo, sed potius a regionibus illis domibusque caveant, in quibus miasmata jamdudum collecta earum valetudini certe nocere possunt. Facta praeterea plurima probant gravidas utique a contagiis morbisque epidemicis adfligi. Epidemia quae anno 1813 maximam Galliae partem, et praecipue regiones boreales invasit, gravidis nunquam pepercit. Medici galli qui Barcellonam a proprio principe missi sunt, ut febrim flavam investigarent, animadverterunt « que la plupart des femmes qui étoient grosses, ont été prises de la maladie, ont avorté et ont peri, soit par les accidens ordinaires, soit par des hémorragies qu' aucune art n' a pu dompter ». (1).

Corporis nimia quies apud divites vitamque in urbibus degentes feminas adeo communis id efficit, ut gestationis molestias facilius persentiant, atque sese male parent ad partus sustinendos la-

(1) Rapport présenté à son Excellence le ministre de l'interieur, par la commission médicale envoyée à Barcelone.

bores. Ipsis quidem licet propriis occupationibus operam dare, quin tamen nimis defatigentur; licet de die per amoena, salubria, et potissimum per campestria loca alternatim spatiari. Videant tamen postremis saltem gestationis temporibus ne longius quam par est, et absque ullo comite domo recedant, talique pacto a partus doloribus subito omnique auxilio carentes corripiantur. Quod autem ab iis corporis exercitationibus abstineant, quae concussiones vehementes pariunt, quemadmodum sunt equitatio, saltus, chorea, et nimis defatigantes labores, id utpote notissimum ne monendum quidem.

Cum sub somno vegetativae vitae functiones potissimum exerceantur, fetus evolutio in causa esse videtur, cur natura gravidis majorem in somnum proclivitatem dederit. Nutui ergo naturae fideliter obtemperent, nec vigilias ultra modum producant. Neque inconsulto quacumque diei hora obdormiant; opportunissimum enim ad id tempus nox et horae post prandium sunt. Lectulus idcirco paratus mediocriter corporis ponderi cedat; nec tamen nimis, ne calor noceat, haemorrhagiae subsequantur. Praeterea cubiculum spatiosum sit, aeri pervium, omniaque proscribantur receptacula, quorum ventilatio minime libera. Jaceat mulier alternatim utroque latere, ne uterus ex consuetudine alterutrum latus tantummodo teneat. Caute vero a lectulo surgat, nullum sibi conatum permittat, nec nudis pedibus praecipue frigido hiemalique anni tempore incedat.

Si medicus hygienes regulas iis tantum proponeret, quae juvenes adhuc propriam valetudinem levitati, et vanae placendi cupiditati immolant, surdis quidem caneret, et observationum suarum fructum et laborum utique oblivioni tradere posset. Hujusmodi enim consilia levissimae mulieres nequaquam sequentur, immo flocci faciunt, et matris officia, sanitatem propriam futili illi ambitioni anteponere non valebunt. At gaudeamus plurimas haberi feminas quae sua a conceptionis tempore munera probe cognoscunt, quae ineptias facile deserunt, nec conditionem propriam gravissimam unquam obliviscuntur. Ad hasce itaque nosmet convertimus.

Leves bieme vestes, ut stultae consuetudini serviatur, et caloris frigorisque alternae vicissitudines, rhaumatismos, saepissime febres inflammatorias colicosque dolores gignunt. Commoda vestis sit, non adeo gravis, quaeque mammas uterumque haud comprimat. Romanae feminae quibus mos erat vestibus cingulo strictia uti, gestationis tempore cinctus deponere cogebantur. Lycurgus autem talia gravidarum esse voluit vestimenta, quae nullum fetus evolutioni nocumentum afferrent.

Necesse est itaque prorsus ut pregnantes officiorum suorum memores, thoracula deserant ponderibus insignibus metallicisque laminis intertexta, a perniciosa consuetudine commendata, quocumque vitae tempore, graviora vero sub gestatione damna inferentia. Hujusmodi siquidem

thoracula mammarum evolutionem impediunt, ipsae molestant, earum sensibilitatem ab affluxu sanguinis jam promotam adaugent; unde lactifera organa continuo dolent; praecipue autem ipsius uteri evolutioni opponuntur, eumque ad ineptam in abdomine sedem occupandam impellunt. Experientia exinde persaepe demonstrat, improbam fetus formam nonnisi hujusmodi pressioni esse tribuendam; inter cujus fatales effectus abortus ipse, uteri carcinoma, scirrhus mammarum, phthisis, aneurismata quoque enumerantur.

Nec minus noxiae ultimis potissimum mensibus sunt compressiones artuum inferiorum. Pondus enim uteri, quod in pelvis vasa dirigitur, oedemata varicesque inducit. Pedis hinc crurisque indumenta, ligamina juxta validius stricta cum circulum impediant, haec incommoda adaugere debent. Cum stomachus ab utero in consensum rapiatur, sequitur non omnigenos cibos potusque esse sumendos, sed omni potius cura eligendos. Edat quidem mulier uterum gerens, sed parum et frequenter, alimentis vescatur simplicibus, facile digerendis, quaeque parvo sub volumine multum contineant principiorum nutrientium. Alimenta ex animali regno deprompta magis debilibus idonea, vegetabilia contra robustis plethoricis. Absint substantiae salitae, caro siccata, et cibi generatim calefacientes.

Quod si de potu sermo sit, consuetudinis semper maxima habenda est ratio, et constitutionis. Modicus boni vini usus adsuetis feminis, illisque

quae digestionis languore laborant, minime nocebit. Vinum aqua temperatum, fluida acidula et quae parva dosi alitum auferre valeant, mera etiam aqua aptissimi potus existimantur. Modicus coffeae vel theae usus prohibendus non erit, cum jam ex longa consuetudine harum substantiarum vires obtundantur; et majus fortasse ex privatione quam ex potibus ipsis nocumentum redundaret. Ceterum potua omnes temperie debita gaudeant; ubi enim nimis frigidi gelidive essent, valde nocerent.

Utrum balneorum usus in graviditate conveniat, id non facile generatim dijudicatur. Si delicatior laxiorque constitutio, habitus mulieris lymphaticus, tepida balnea incommoda profecto augebunt; opportuniora vero aromatica evadant, frictionibus inde leviter lana institutis. Sin autem habitus sit nervosus, cum sub gestatione irritabilitas increscat, tepida balnea optime quidem incedunt, immo subinde miram antispasmodicam virtutem exerere visa sunt. Tempus balneis maxime opportunum, menses primi et extremi graviditatis; in illis spasmos mulcent e primis uteri irritationibus profectos, postremis vero uterum ad expansionem disponunt, impedimentisque ab uteri collo ac vagina pendentibus occurruot. Pediluvia pariter praescribenda ubi indicationes reperiantur.

Emetica generatim non adhibenda: concussiones, quas adferunt, funestissimae fiunt organo gestanti, abortumque non raro cient. Propterea solummodo in usum vocanda erunt, cum graviores

minantesque circumstantiae id quodammodo expostulent. Huc pariter referenda camphora, crocus, juniperus sabina, ceteraque medicamina quae actionem suam in uterum dirigere videntur.

Si opus erit, alvus clysmatibus mucilagineis emolliendibus movendus. Apta corporis positione et remediis quoque urinae secretioni atque expulsioni faveatur, quae si diutius coerceantur, inflammationem et paralysim vesicae afferre, talemque in uterum pressionem exercere valent, quae dolorum vehementium et abortus ipsius causa sit.

Quis de phlebotomiae in gravidis institutione non disseruit? Hippocrates eam prorsus damnat, ejusque auctoritas medicos omnis aevi in errorem adduxit. Praesens cognitionum medicarum status, studio profundo legum oeconomiae animalis innixus, ab observationeque deductus, vetat phlebotomiam, ubi mulier uterum gerens neque incommoda ulla patiatur, neque fortuitis aliquibus circumstantiis eam suadentibus exposita fuerit. Si vero fortis sanguinea praedita constitutione atque plethorica, pulsus praeseferat plenos atque micantes, sanguinis evacuatio tum locum habet, tum etiam aliquando repetenda erit.

Haec sunt potissima de gravidarum hygiene praecepta, quae juvenili ingenio studioque colligere ausus sum.

THESES

I.

Praeter diathesim in morbis summopere oportet conditionem novisse pathologicam.

II.

E cognitione conditionis pathologicae selectus pendet medicaminum.

III.

Plura remedia praeter actionem universalem peculiari in quoddam organum et systema actione gaudent.

IV.

Abortiva revera non dantur.

V.

Signum pathognomonicum graviditatis in omnibus periodis non habemus.

VI.

Morbi vere imaginarii non dantur.